



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

55 Praelati bona ecclesiarum Rom Pontifice inconsulto alienantes,
supensionis, aliasque poenas incidunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

ecclesiasticæ personæ, quæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus, vel ecclesiis quibuscunque sibi subjectis, vel ad collationem, ordinationem, aut præsentationem pertinentibus, eorundem bona, morientibus eorum rectoribus, vel ministris, in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorundem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari, occupare, aut in ulus suos convertere, quoquomodo præsumunt: Episcopi, ab ingressu Ecclesiæ; & cæteri, ab officio, & beneficio, tandiu sunt suspensi, donec competentem fecerint restitutionem, *c. fin. de off. ord. in 6. & Navar. in Manual. c. 27. n. 57. in princ.*

54 Quartò, resignationes, & permutationes beneficiorum fieri debent ex causis, ac modo, & formâ, *de quibus in constitutione vij. quæ incipit. Quanta Ecclesiæ, & de qua in Bull. c. 48.* & qui contrafecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique competierit, tandiu suspensi debent remanere, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia beneficia recipiunt, eisdem pœnis subjacent, & alias pœnas incurrunt, *de quibus in ead. constitutione §. qui verò.*

55 Quintò, † Prælati alienantes bona ecclesiarum, inconsulto Romano Pontifice suspensionis, aliasque censure, & pœnas incurrunt, *de quibus in extravag. ambitiose de reb. Eccles. non alien.*

56 Sextò, † Patriarchæ, Primate, Archiepiscopi & Episcopi, Itali videlicet, vel

ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, & alii adiacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, & Græcarum, quæ è regione ipsas Italiæ, & Sicilia oris sunt, tertio quoque anno; Germani verò, Hispani, Galli, Belgæ, Bohemi, Ungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, & cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium insularum Maris Mediterranei, quarto anno; & qui intra Europæ fines sunt, his Provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus nostris aduersi, ac Insularum Maris Oceani, Septentrionalis, & Occidentalis, Europæ, & Africa citra continentem novi orbis, quinto anno: Asiatici verò, & qui ultra Asiam, & aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & Septentrionalibus, tam in Insulis, quàm in continentibus, & deniq; in quibuslibet mundi partibus, decimò quolibet anno à tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli limina visitate tenentur, alioquin ab ingressu ecclesiæ, ac etiam ab administratione, tam spiritualium, quàm temporalium, necnon à perceptione fructuum suarum ecclesiarum, à capitulis eorum omni exceptione, & mora cessante, interim exigendorum, & in opus fabricæ seu ornamentorum ecclesiæ emptionem, prout major necessitas exegerit, infumendornm, ipso facto tandiu sunt suspensi, donec à contumacia respicientes relaxationem suspensionis hujusmodi à sede Apostolica meruerint obtinere, *ut in constit. Sixti. Papa V. de qua in 2. par. Bull. capit. 17. §. ad hoc autem, & §. jubemus, pag. 47.*